



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 146. Ferrarii Cardinalis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1502

millesimo quingentesimo secundo Apostolico diplomate confirmabat: anno autem sequenti primi asceterii fabrica Avarici Bituricum confecta, amplis redditibus a Joanna augebatur, ipse quoque Ludovicus XII. Galliarum Rex hujus monasterii erectionem Regiis literis eodem anno mense Decembri datis ratam habebat.

## §. CXLVI.

*Ferrarii Cardinalis obitus.*

*Gnic. l. 6.*

*Ugel. Ital. sacr.*

*Bzov. hoc an. n. 16. Ciacon.*

Hoc anno die vigesima septima Julii sacrum Collegium uno Cardinale Joanne Baptista Ferrario orbatum est. Hic in lecto suo exanimis inveniebatur, rumorque ferebat, eum veneno quod ejusdem Cubicularius ei propinaverat, sublatum fuisse, imo referunt nonnulli, id (\*) Alexandro ac Valentinensi Duce instigantibus, factum fuisse, forte ea ex causa, ut Cardinalis bona aucuparentur: certum enim est, eorum jussu opimam hæreditatem ultra octoginta nummum aureorum

(\*) *Ciaconius hæc habet: Veneno sublatus a Sebastiano Pinzono cubiculi præfecto, qui postea sub Leone X. ob alia crimina carceri traditus, hoc eodem, quod antea negaverat, in tormentis sponte revelato poenas dedit: cetera silent Ciaconius, Bzovius, & alii.*

rum millia æstimatam, fuisse ablatam, Sæcul. XVI.  
A.C. 1502.  
relicta defuncti fratri nil nisi corpus ejus  
Mutinam transferendi cura, ubi etiam  
sepultus est. Ita nempe vindex Deus ad  
exercendam justitiam suam illius uteba-  
tur ministerio, qui mortui Cardinalis ini-  
quitatibus potissimam ansam dederat;  
cum enim Ferrarius Alexandro perca-  
rus esset, ab eo primariis dignitatibus,  
ac maxime quæstuosis Romanæ Curia  
officiis præficiebatur, demum etiam Mu-  
tinensi episcopatu ac Archiepiscopali Ca-  
puana Ecclesia donatus, tandem Pres-  
byter Cardinalis renunciatus est, mor-  
temque obiit sua vita dignam; cum enim  
suis injustitiis, ac insatiabili auri cupidi-  
tate in vita sua omnium invidiam in se  
concitasset (\*), etiam post mortem om-  
nes ejus memoriam ac nomen detesta-  
bantur.

## §. CXLVII.

*Gallorum res in Italia.*

Interea belli furor Hispanos inter & Gal- Marian. hist.  
Hisp. l. 27.  
Guicc. l. 5.  
los in Italia minime deserbuit, illis  
non

D d 5

(\*) Ciaconius quidem testatur, Ferrarium,  
ex avaritia sibi in Aula maximam contraxisse  
invidiam, eumque multis displicuisse, addit  
tamen, quod eam ob rem indignationem etiam  
summi Pontificis incurrisset, hæreditas vero  
ipius delata fuerit in fiscum ipsius Cardinalis,  
non autem Pontificis.